

Rex ei remisit quod ipsum pro aliquo non daret thesauro nec a se ipsum emitteret. quoniam fuit predecessorum suorum. & ob hanc causam ipsum habere non potest. homines istius insule non sunt pro armis. set sunt tristes & uiles & si homines pro armis necessarij sibi sint. inueniunt de aliena patria. & proprie saracenos Jn ea non sunt alia digna relatu. ideo ulterius procedentes narabimus de maabar : /

/Hic narratur de prouincia maabar.

**C**um uero discedendo ab insula seylan itum est uersus ponentem circa miliaria sexagunta| inuenitur magna prouincia maabar. que nuncupatur Jndia 67<sup>o</sup> maior videlicet nobilior india que sit. in ista quidem prouincia quatuor reges sunt omnes fratres germanj. & de singulis per se dicemus. & pro certto noueritis quod prouincia ista est noblior & ditior aliqua que reperiatur in mundo. & dicemus qualiter. Jn capite uero huius prouincie permanet unus istorum fratum nomine. Sender bandi deuar. qui principalis est & maior. Jn isto suo regno inueniuntur perule multum grosse & pulcre & bone. & noueritis quod maior quantitas perularum & preciosorum lapidum que inueniatur. inuenitur in maabar. & seylan. dicemus uero qualiter in isto regno lapides & perule inueniuntur. Est enim in isto mari quidam gulfus qui est inter insulam & terram firmam. Et in toto isto gulfo non est aqua alta ultra decem uel duodecim passus. & in aliquibus locis non est alta nisi per duos passus. Jn isto gulfo inueniuntur perule in hunc modum. Erunt plures mercatores qui insimul facient comitium & consortium & accipient unam magnam nauem specialiter ad hoc aptam in qua quilibet per se cameram habebit sibi ydoneam & paratam & in ea unum mastellum plenum aqua & alia oportuna & multe erunt huiusmodi naues quia multi mercatores sunt quia ad hanc punctionem atendunt.| & omnes mercatores qui simul associati 68<sup>o</sup> fuerint in una nau habebunt plures barcas que nauem trahent per gulfum & inueniunt multos homines pretio cum quibus conueniunt pro mense aprilis & dimidio mensis madij videlicet quia tanto tempore & in illo durat piscatio infra scripta in dicto gulfo in quodam loco qui dicitur bettala & intra[n]t in mare per miliaria sexaginta. Et cum ad locum peruerent nauis ancoratur. & homines existentes in barchis qui pro mercede premij ueniunt/ se submergunt in aquam per passus iiiij & v. usque ad xij secundum quod aqua magis & minus profunda in quolibet loco. & in fundo inuenientes caperas ipsas sursum adducunt in quibus inueniuntur grose & minute perule. & de qualibet manerie Jste quidem capere scinduntur & in supradictis mastelis aque plenis ponuntur qui in nauibus sunt quia perule in carnibus istarum caperarum sunt. & dum in aqua mastelli permanent. carnes ille deremituntur & putrescant & sicut albumen oui efficiuntur que tunc supernant & perule in fundo remanent expurgate. Et statim cum